5

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

HYDROPUM CAUSIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS BROMET,

Anglo-Britannus:

S. R. S. M. E.

Permultum interest, ut medicus, in curâ gravioris et sontici morbi prudenter adornandâ, veram causam primamque scrutetur originem.

FRED. HOFFMAN, de Hydrope.

Die VIII *ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBAT CAR. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCIX.

RICARDO HILL,

ARMIGERO,

QUI EUM EX TENERIS ANNIS,

AMICITIA NUNQUAM OBLIVISCENDA

PROSECUTUS EST;

HOC PARVUM TESTIMONIUM

ANIMI GRATISSIMI,

SUMMA CUM OBSERVANTIA

OFFERT

GULIELMUS BROMET.

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

HYDROPUM CAUSIS.

AUCTORE GULIELMO BROMET.

In omnia cava corporis humani per arterias minutas, vasa exhalantia dictas, humor tenuissimus assidue effunditur; ac, dum corpus sospes et integrum est, per vascula exigua, quae vasa absorbentia vocantur, iterum in sanguinem reducitur.

Quòd si ex vasis exhalantibus praeter consuetudinem effluat hicce humor, neque simul absorbentia eum ultra solitum reducant; aut si per vasa absorbentia justo tardius humor reducatur, quamvis rite exhalantia propria munera expleant, necesse est ut morbus hydropicus consequatur.

Itaque ad duo capita referri possunt variae et multiplices hydropis causae; ad effusionem seri auctam, vel ad ejus reditum in sanguinem impeditum.

Effusionem augent, exhalatio praeter consuetudinem intenta, seu vasorum latices aquosos continentium ruptura.

De modo quo serosus humor a reliquâ massâ sanguinis decedit, nondum inter medicos convenit. Nonnulli crediderunt humorem illum, qui varia cava corporis perpetuo humectat, sub eâdem formâ, quâ reperitur in cavis, ipsi sanguini quoque subesse; et potius e sanguine per meatus minutissimos colari, id quod in fistulâ inerti conspicere licet, quàm operâ vitali secerni. Hewson autem pro certo habuit vere secerni hunc humorem, quia, ut affirmavit, proprietates seri sanguinis nequaquam latici hydropico contingunt. Sed merâne percolatione, an secretione verâ disjungatur hicce liquor, minimi refert; utramque enim

eaedem causae augebunt: et quoniam Hewson ipse non negaverit, si justo tenuior sit sanguis, ejus partem tenuiorem dimitti quasi percolatione; idcirco in paginis sequentibus, de exhalatione scribens, tanquam meram percolationem nunquam non habebo.

Si igitur quâcunque ratione sanguis arteriosus ad ora exhalantia solito uberius deferatur, aut si sanguini insit plus quàm ex consuetudine serosi laticis, ejus tenuioris partis copia insolita per hosce meatus minutissimos stillabit.

Impetus sanguinis intenditur vel nimiâ cordis et arteriarum vi, vel ejus circuitu alicubi corporis impedito.

Sanguinis major copia per arterias certo spatio temporis propulsa, simul lineis mediis vasorum exhalantium iisdem permanentibus, ut plus humoris tenuis in cava effundatur, necessario efficiet. Hinc effusiones illae oriuntur toties quasdam

inflammationes consequentes; pleurae scilicet, vel peritonaei; item rheumatismum, atque insectorum morsus.

Quominus sanguinis circuitus per totum corpus libere absolvatur, efficit, quodcunque iter sanguinis per vasa majora impedit, sive vasa extrinsecus comprimendo, sive sub tumoris formâ ipsis vasis intus inhaerendo.

Quamquam a difficili itinere per quamlibet majorem venam citissime adaugeatur exhalatio, tamen, ut opinor, cursus sanguinis etiam per magnam arteriam quoquomodo impeditus, eandem demum exhalationem, at multo serius, non inducere non potest.

Si enim occludatur unica arteria, omnes aliae inter cor et arteriam occlusam, illico turgescent. Aörta hinc plus justo onerata, e corde, ideoque cor non satis depletum, e venis, sanguinis quantitatem solitam accipere nequeunt. Quòd

si venae distendantur, sanguis ex arteriis aegrius illas petet, et, quâ facilior exitus datur portâ, pars tenuior ejus effluet.

Permultis autem causis comprimuntur vasa: ligaturis nempe; scirrhis et steatomatis; aneurismis et varicibus; abscessibus; utero gravido; humoribus et spiritu effusis.

Si ligetur vena major artûs, arteriâ simul, quae illam comitatur, liberâ e vinculo relictâ, pars ligatae venae inter ligamentum et arteriolas in venam desinentes illico sanguine tumebit; atque ex tumore brevi consequente, qui digito prementi cedit, foveolamque ejus retinet, aquam adesse subter cutem, demonstratur. Hinc, oedema moliuntur, arctior vestitus, cingula, genualia, monilia et omnia similia. Veruntamen de ratione quâ oedema hocce fieret, alii alias sentiunt. Plerique ac celeberrimi existimant, sanguine difficulter transeunte ex arteriis in venas, ejus impetum ad illas exhalantes intendi, eoque aquam intercutem

effici. Quidam attamen, et inter hos Morgagni perillustris, impedito lymphae cursui ejusque ductibus inde impletis, tandem diruptis, hunc affectum tribuerunt. Sed prae lymphaticorum inter se creberrimis conjunctionibus ex iis compressis, nisi majoribus truncis, vix aut ne vix quidem morbus, me judice, exoriri potest.

Omnibus ex corporis visceribus jecur frequentissime durescit; quâ causâ, nulla saepius hydropem dirum gignit. Hujus autem ratio e lege sanguinis per jecur circuitûs petenda est. Venae igitur, in sano statu corporis, viscerum, quae medici chylopoietica nuncupaverunt, ventriculi scilicet, intestinorum, omenti, pancreatis et lienis, sanguinem in venam portarum deferunt, per cujus ramulos in totam jecinoris fabricam diffunditur, atque demum per cavam venam hepaticam, in magnam venam cavam et ad cor revenit.

Hâc ita praemissâ sanguinis venosi cursûs per venam portarum ratione, satis constat, si in hepate quoquomodo motui sanguinis obstetur,

arterias, a quibus venulae in portarum venam coëuntes oriuntur, distentum iri; ideoque momentum sanguinis ad exhalantia adauctum, et hydropem factum iri.

Unde pendeat jecinoris adeo frequens vitium, nunc videndum. Ob varia vasorum genera quibus instruitur, et ob magnam copiam sanguinis quam assidue accipit, haud est absimile jecur prae aliis visceribus ad morbum proclive fore; quòd si accederet, consuetudinem, plerisque heu, inveteratam esse, merum largius ingurgitandi, ratio sat in promptu erit cur jecur toties laboret.

Hic loci attamen existit quaedam quaestio subdifficilis, nimirum quomodo haec prava consuetudo jecur afficiat. Fortasse propter nexum nuper ab Everado Home detectum, inter ventriculum et lienem, meracae potiones cum sanguine per venam splenicam reduce, citius eoque minus dilutae, ad hepar transeunt, quàm, praeter lienem, ad caetera organa. Atque lien ipse rarius quàm jecur vitiatur, quia ejus structura est simplicior; et officia quibus fungitur, ad corpus sanum

conservandum, minoris sunt momenti *.

---

* Haud multum abs re fore arbitror si consectaria quae ex experimentis deduxit Home celeber hic adjungerem.

That the liquids received into the stomach beyond what are employed for digestion, are not wholly carried out of it by the common absorbents of the stomach, or the canal of the intestines, but are partly conveyed through the medium of the spleen into the circulation of the liver.

The vessels which communicate between the stomach and the spleen have not been discovered; but if it is proved that the colouring matter of the contents of the stomach, is met with in greater quantity in the spleen and in the vein which goes from that organ to the liver, than in the other veins of the body, there appears to be no other mode in which it can arrive there, but by means of such vessels; and the two different states of the spleen, which correspond with the quantities of liquids that pass from the stomach, are strongly in favour of the existence of such a channel.

This communication between the cardiac portion of the stomach, and the spleen, will explain the circumstance of those who are in the habit of drinking spirituous liquors having the spleen and liver so frequently diseased, and the diseases of both organs being of the same kind.

Veterrimi scriptores medici persaepe lienem, aeque atque jecur morbidum pro causâ hydropis agnoscere solebant: sed quia non dilucide apparet, quemadmodum lienis vitium hydropi occasionem praebeat, effectui potius quàm causae apud recentiores habetur. Causam autem esse, mihi e duabus rationibus videtur: nam premendo venam cavam, ampliatus lien aliquando procul dubio hunc induxit morbum; sed quia lien et vena cava nequaquam inter se propinqui existunt, nisi lien multum amplificetur, non potest hoc malum inducere: porro, prohibendo sanguinis ingressum per arteriam magnam splenicam, forsan efficit, ut impellatur copia insolita in arterias mesentericam et dia-

---

This organ is not essential to life, its office being of a secondary kind; but when it is materially diseased, or entirely removed, digestion must be disturbed. The extent to which this takes place, cannot be accurately known from experiments on quadrupeds, and the instances in which the human spleen has been removed have not been attended to with sufficient accuracy to afford an explanation of the effects that were produced on the stomach.

phragmaticam, ideoque ut ex earum ramulis minutis exhalatio augeatur.

Pancreas durum et scirrhosum a Francisco Milman, secto cadavere hydropico, conspectum est; quod, compressâ venâ cavâ, ut videbatur, morbum excitaverat.

Quinetiam durities omenti a nonnullis inter causas hydropis fuisse aestimatur.

Pari ratione, ventriculus scirrho laborans morbum hydropicum intulit. Doctor Donaldus Monro de cadavere mulieris hydropicae disseruit, in quo ventriculus scirrhosus, atque pollicem crassus factus erat. At etiamsi scirrhus ventriculi, nonnunquam venam cavam impediendo; saepius tamen, ejus officio non rite perfecto, primo concoctionem pravam, deinde sanguinis nimiam tenuitatem moliendo, hydropem efficit. Sed quomodo sanguinis δυσκρασια malum proferat, infra plenius nobis explicandum erit.

Affecta scirrho etiam intestina, et praecipue caecum, hydropem movisse quidam asseruerunt; hoc vero rarius, ut credo, compressione factâ, saepius functionibus intestinorum, id quod supra dixi, impeditis, accidit.

Renum, praesertim dextri, induratio, vel sinistri, si modo multum augeatur, in venam inferiorem cavam sanguinis regressui obstando, hydropicam effusionem procreavit; ac efficiendo quoque urinam parciorem, et sanguinem eo tenuiorem, eandem effusionem induxit. Sed quoniam, uno solum rene vitio laborante, mirum in modum alterius actio intenditur, talibus enim legibus providens ille Deus corpora humana finxit, ni uterque eodem tempore afficiatur, rarissime secretio urinae parcior evadet.

Ex utero et ovariis duritie affectis interdum proficiscitur, ut nonnulli tradiderunt, hydrops; quod profecto haud est absimile, si venas cavam vel iliacas premerent.

Atque etiam partes scirrho tentatae ipsarum membranarum in cavis vel abdominis, vel thoracis, peritonaei scilicet et mesenterii, pleurae et pericardii, a quibusdam pro causis hydropis in medium proferuntur.

Satis constat steatomata, perinde atque scirrhos, consimilique modo, hydropi originem praebere posse. Van Swieten scriptis mandavit, steatoma in omento, quod pondere libras medicas triginta tres aequabat, ascitem induxisse; et Monro, in tractatu suo de Hydrope, cadaver hydropicum, in quo conspexit duo magna steatomata ad dextrum latus cavi abdominis, quae ab utero ducebant ortum, se dissecuisse narrat. Quinetiam steatomata in mesenterio prope ejus glandulas posita, si aliis fidem habeamus, hydropem genuerunt.

Aneurismi opprimendo venas, ac forsan vasa lymphatica quae arterias comitantur, et sic reditui sanguinis, vel lymphae obstando, colluviem aquosam quoque afferunt.

Neque raro ex varicibus, quae minus liberum efficiunt cursum sanguinis ad cor, artuum aqua intercus exoritur.

Abscessus pariter, qui venis majoribus vicini fuerunt, in exemplis nonnullis, causae hydropis fuisse videntur.

Ac bene notum est uterum gravidum, prae sua mole venas iliacas et cavam premendo, effusiones aquosas in pedum talorumque telam cellulosam saepissime induxisse.

Et effectus idem frequenter ex ascite oritur; praesertim si ascites diu manserit. Urina porro, atque bilis in cavum abdominis effusae, ex ruptis vesicâ urinariâ vel vesiculâ felleâ, aquam subtercutem, pari ratione ac effusum serum, a quibusdam effecisse existimantur. Saccique, qui in sano corpore liquores varios continent, morbo praeter naturam amplificati oedema possunt procreare. Neque absunt documenta ubi collectiones seri in

utero, in ovariis, inter laminas peritonaei, vel sub formâ hydatidum, vel etiam spiritus intestina aut cavum peritonaei implens, morbum hydropicum intulerunt.

Nunc dicendum est de aliis, sanguinis circuitum impedientibus: qualia sunt, quaecunque vitia in vasis intus sunt posita; in os aut cartilaginem conversae valvae cordis, vel arteriarum tunicae; tumores vasorum cavis inhaerentes, viamque angustantes; atque, ut antiquiores, perpauci autem hodierni, volunt, polypi.

Ex ratione quâ absolvitur sanguinis circuitus, facillime intelligitur cur conversae in os aut cartilaginem valvae cordis toties hydropem gignant. Valvis ita se habentibus, per pulmones sanguinis transitui obsistitur, atque venis cavis eo non rite depletis, sanguinis venosi motus impeditur; exhalantia ergo copiosius tenuem humorem effundunt, qui in variis cavis congestus, hydropem immedicabilem constituit.

Simul etiam patebit, si osseae fierent tunicae majorum arteriarum, et praecipue aörtae, adeo ut motus sanguinis in eis languesceret, cor et venas inde iri impletum, et hydropem consecutum.

Tumores ex venarum internis tunicis nascentes earumque cavum minuentes, impediendo sanguinis per eas liberum regressum hydropem quoque genuerunt.

Concreta illa, polypi dicta, quae subinde, cadaveribus hydropicis inspectis, in corde ejusdemque magnis vasis, aortâ nimirum et arteriâ pulmonali, reperiuntur, necne in vivo homine revera inessent, medici inter se dissentiunt. Si unquam sane adsint, ut hydrops exinde oriatur, ex jam dictis sat apparet.

Corpus diutius erectum, tardiorem efficiendo sanguinis reditum per venas, et impetum augendo per arterias, pedum talorumque hydropicos tumores frequentissime inducit.

Si quoquomodo per pulmones difficilius rediret sanguis, non solùm in thoracis cavo, sed etiam, ob ingressum impeditum sanguinis ex corde dextro, in omnigenis partibus, hydropica effusio consequetur. Hinc hydrops toties homines infestans, qui asthmate laborant; et, hâc de causâ forsitan, ex magnâ parte hydrops pectoris, quem Willis nimiâ ac vehementiore exercitatione inniti memorat. Pulmones indurati vel vomicis obsessi, hydrothoracem interdum faciunt; atque hydrothorax ipse, inhibendo quo minus spiramenta pulmonum rite äere distenderentur, hydropem generalem quoque non inducere non potest.

Superest et alter modus quo impediatur sanguinis circuitus; nimia, scilicet, ejusdem spissitas. Quoniam in sano corpore sanguis certâ tenacitate gaudet, quâ lateribus vasorum quodammodo adhaeret, sequitur, siquando sanguis justo spissior fiat, eum magis ad latera vasorum per quae movetur, adhaesurum esse; et nisi actio cordis et arteriarum intendatur, ejus motum langui-

dum factum iri: atque, ut dicit noster celeberrimus Jacobus Gregory, "quicquid causa fuerit "quod sanguis languidius moveatur, malum in "venas maxime incumbit; nimirum, quia in his "sanguinis motus semper tardior est". Sed quomodo in venis motus languidus hydropem gignat, antea sat notatum est.

Causae sanguinem spissantes ad quatuor genera referri solent: ubi crassior pars sanguinis plus justo retinetur; ubi crassior pars plus justo fingitur; ubi pars tenuior minus aequo retinetur; aut ubi pars tenuior minus aequo fingitur.

Plurima tradita sunt exempla, et praecipue apud antiquiores, ubi ab evacuationibus sanguineis intempestive cohibitis, mensibus scilicet, vel fluxu solito e naribus aut intestinorum venis, vel ab neglectâ assuetâ venaesectione hydropes, abundante nimis spisso sanguine, ortum traxerunt.

Sanguis quoque solito viscidior fieri potest ex immodico usu carnosi cibi, valentissimi, pinguis

que, aliisque alimentis spissis, siccis et tenacibus sumptis; qualia sunt panis niger, farra non fermentata, caroque valde tosta; multo simul somno et vitâ otiosâ.

Porro, sanguinem nimis spissant quaevis serosae exinanitiones; quales sunt profluvia larga lochiorum, vel fluor albus diuturnus, quem saepissime secutus est hydrops; destillatio ex naribus et bronchiis; omnes alvi evacuationes, dysenteria scilicet, vel diarrhoea diu permanentes; amplae exulcerationes; protracta salivatio; aut immodica jactura seminis: quae omnes morbo originem dederunt. Has veruntamen, fatendum est, potius forsitan frangendo vires ventriculi, quàm sanguinem spissando, effectum edere.

Sanguinis denique tenacitas oriri potest, iisdem permanentibus secretionibus serosis, ab defectu potionum aquosarum.

Ex effato in superiore parte hujus disputationis jam proposito, humorem scilicet in cavos effusum, e massâ sanguinis simpliciter percolari

ope ramulorum lateralium arteriarum, sequitur, si insit vasis sanguinem vehentibus redundans laticis serosi proportio, quantitatem supervacaneam humoris tenuioris necessarie per has arterias in omnia cava organa effluxuram. De hoc experimenta Hales nos certiores fecerunt, ut nimia in sanguine aquae ratio minime in venas transeat, sed in cava corporis derivetur, et hydropem faciat, etiamsi non majore vi aqua premitur quam erat vis cordis in statu naturali. Milman autem inficias it hydropem enasci posse ex nimiâ humorum tenuitate, si simul actio cordis et arteriarum eadem ac in sanitate perstet; quandoquidem hoc rerum statu, inquit "pars abundans aquosa per spiracu-"la cutis vel per renes foras ejiceretur: tunc so-"lummodo metuendum est, ne in cava corporis "deferatur, quum jam ab iis, quae hydropem "quandoque inducunt, causis vis cordis multum "fuerit imminuta." Sed etsi haud inficiemur morbum promptius induci, ubi vires franguntur; attamen in statu quàm integerrimo, partem tenuiorem sanguinis aeque facile afferri in omnes qua-

lescunque partes corporis, ac ad cutem vel ad renes, strenue perhibemus; eâ conditione vero, ut medicamenta diaphoretica aut diuretica non administrata fuere, ad sanguinem impellendum vel ad cutem vel ad renes, et has, prae caeteris partibus, ad afficiendas: ac etiamsi in cutem et in renes liberius forsan dispertiuntur vasa exhalantia, quàm in parietes cavorum; attamen si, quod constat inter omnes, exhalantia in haecce cava revera intus desinant, necesse est ut supervacanea aquosae partis sanguinis quantitas per exhalantia haecce elabatur, et nisi vasa absorbentia eodem tempore plus solito resorbeant, ut morbus hydropicus exinde consequatur.

His memoratis, de causis sanguinem tenuiorem facientibus nunc dicendum est; quas imprimis ad quatuor capita referam. Ubi pars tenuior sanguinis magis justo retinetur; ubi pars tenuior plus justo fingitur; ubi crassior pars minus aequo retinetur; aut ubi crassior pars sanguinis minus aequo fingitur.

Quoad primum genus, satis facile patet, quandocumque serosae quaevis evacuationes, sive salutares, sive, si diu perstiterint, morbosae, ex improviso, nullâ simul novâ exinanitione arte institutâ, supprimuntur, hydropem citissime secuturum ob insuetam vasorum distentionem sic inductam, et praesertim ob humorem tenuiorem quo implentur. Hinc aqua intercus excipiens repressum subito halitum cutis. Atque etsi, excretione per cuticulam repressâ, urina plerumque pro ratâ parte dilutior et uberior fiat; attamen quòd sanguis nunc tenuior factus ad omnes partes, ut supra diximus, pariter atque ad renes diffunditur, eo fiet ut ubique pars tenuior decedat, et, nisi rursus sorbeatur, hydropem concitaret. Sauvages apud suam Nosologiam Methodicam, de anasarcâ ab adiapneustiâ disserens, exemplum rustici in medium profert "qui obsidebatur tumore molli, per totum "corpus diffuso; referebat ille, se post messem "factam sanum recubuisse; mane vero sequenti "surgere non potuisse propter corporis intumes-"centiam. Inter varia responsa quaestionibus a

"me factis, dixit, se recubuisse super stramen in "loco humido." Veri tamen est simillimum, ut nonnulli contenderunt, morbum in hoc exemplo inductum fuisse ab aquae resorptione per cuticulam ex aëre circumfluo humido : sed quoniam nondum pro certo constat necne unquam aliquid per cuticulam revera sorbeatur ; porro quia liquet inter omnes aëra humidum humanum corpus magis refrigerare aëre sicciore, propter proprietatem, quâ pollet aqua, accipiendi e nostris corporibus caloricum, ut dicunt chemici, facilius quàm aër, pro exemplo morbi, ex frigore extrinsecus admoto, orti, hoc in loco posuimus. Huc fortasse quoque referenda sit vita sedentaria et otiosa, quae non solum excretiones varias minuendo, sed etiam concoquentia instrumenta debilitando, homines proclives ad hydropem, aeque atque alios morbos, faciat. Hinc hydrops in literarum studiosis frequentior quàm in exercitatis. Ac quamquam ischuria sit morbus qui plerumque aegrum quàm citissime e medio tollit, attamen tradita sunt exempla, ubi urina ex toto suppressa, vel plurimum diminuta, effusiones

hydropicas sine dubio procreavit. Neque desunt documenta ubi ab obstructis evacuationibus aliis serosis, exempli gratiâ, lochiis, lacte, fluore albo, et quoque ab dysenteriâ, aut diarrhoeâ male per astringentia cohibitis, ulceribusque usitatis intempestive sanatis, hydrops exortum duxit.

Quantum ad secundum genus ubi pars tenuior sanguinis plus justo fingitur, satis in apricum prolatum est, nimiam quantitatem epotam liquorum aquosorum, morbum hydropicum inducere posse. Et tametsi in eâ sum sententiâ, minime nunc temporis, ut reor, improbabili ob nupera patefacta a celeberrimo Home, quae pro certo habet, maximam liquorum partem in ventriculum invectam, constitutione firmâ corporis, per rectum aditum ventriculum inter et vesicam urinariam progredi, eoque e corpore ejici; nihilominus, sive per lactaea vasa, sive per communicationem ventriculi cum liene, haud parva portio liquoris invecti, in massam sanguinis ipsius transibit, dein in omne corpus circumferetur, ac modo jam satis tradito, hydropem gignet. Maximilianus Stoll in suis prae-

lectionibus, narrat se vidisse hydropem intra paucas horas ortum, ex frigidis haustibus, corpore aestuante; et De Haen affirmat ex potu aquoso, post sitim longam, totum fere exercitum Caroli quinti in hydropem incidisse. At nimia sanguinis tenuitas non solum fit ab immodicâ aquosâ potione frigidâ, sed etiam potione tepidâ, aut cibis tenuibus, veluti oleribus, fructibus acidulis, ficubus pomisque viridibus; quae omnia, ut nonnulli volunt, hydropem produxere.

Nunc ad tertium genus ubi crassior pars sanguinis minus justo retinetur. Secundum perillustrem Cullen, profusae sanguinis evacuationes, sive spontaneae, sive arte quomodocumque factae, magnam vim rubrorum globulorum et fibrinae abstrahendo, serum sinunt facilius per exhalantia elabi: sed quoniam est difficile conceptu, quemadmodum pars crassior sanguinis emitti potest, solitâ quantitate seri non simul emissâ; conjicio sanguinis tenuitatem, quae post crebras ejus missiones subesse observata est, hydropes induxisse, potius frangendo vires assimilantes, et hâc ratione par-

cam crassioris partis generationem faciendo, quàm recta eam abstrahendo: quia vero, meum, qui junior sum, non est Cullen, viri jure venerandi, arbitrium parvi facere, hocce in loco illas exinanitiones sanguineas, quae effusiones hydropicas frequentissime auctoribus eastimantur induxisse, recensebimus. Hae sunt profluvium diuturnum sanguinis e naribus; sanguinolentum sputum; profusio ex venis intestinorum vel ventriculi; menstrua nimis copiosa; abortus; profluvium sanguinis ex vesicâ urinariâ; sanguinis jacturae ex vulneribus; ac denique crebrae et largae missiones sanguinis, ad sedandos quosdam acutos morbos institutae.

Nunc demum ad quartum genus venio; ubi crassior pars minus aequo fingitur. Hoc eveniat in tribus modis; nam etsi fere prorsus ignoremus quo pacto ex alimentis fiat chylus, tamen ex cibis siccioribus formari verisimile est: hinc, si misero adsit pauxillum tantum cibi nutrientis; vel si ingestus cibus sit difficilis concoctu, propter vires ventriculi seu aliarum partium concoctioni minis-

trantium infirmatas, satis constat chylum parciorem evasurum esse. Ratio itaque in promptu erit cur inedia longa, diaeta parca vel qualitatis non idoneae, aliquando pauperibus in summâ durâ hieme, hydropem intulerint. Idemque malum saepissime secutum est varios morbos diuturnos, qui eorum impetu functiones maxime laeserunt; potissimumque inter has, canalis concoquentis vel organorum assimilantium. Hinc hydrops adeo frequenter superveniens quibusvis febribus, tam continuis, quam intermittentibus, et praecipue quartanis; quibusdam exanthematis, qualia sunt scarlatina, et praesertim erysipelas; podagrae item, hypochondriasi, chlorosi, morbis qui organa concoctioni inservientia quàm plurimum afficiunt. Quibus forsitan subjiciatur scorbutus.

Sat de exhalatione auctâ: nunc de aliâ causâ effusionis, rupturâ nempe vehentium vasorum, aut saccorum continentium latices aquosos, breviter dicendum est. Ruptura ductûs thoracici, hydrothoracis, vel lacteorum, ascitis speciem, ut placuit

Sauvages, induxerunt. Huc quoque referendi sunt, tumores illi pallidi, qui, ruptis lymphaticis, contusiones, distortiones, et luxationes excipiunt. Rupturae renum, seu ureterum, seu vesicae urinariae ascitem, urinosam dictam, etiam effecerunt. Et pari modo hydatidum ruptura, aut aliorum saccorum praeter naturam humorem aqueum continentium, asciti abdominali ortum praebuerunt.

His propositis, proximum est, ut de istis causis dicam, quae lymphae reditum in sanguinem impediunt; quales sunt, quaecunque majora vasa extrinsecus comprimunt, vel in vasis intus posita occludunt viam: hinc scirrhi, vitiaque omnigena quae prohibent cursum sanguinis, quoque lymphae cursum non impedire non possunt; et hinc, in chyli receptaculo concretum, vel valvae lymphaticorum in osseam naturam conversae, hydropem sine dubio moliti sunt.

Postremo, etiamsi plurimi, hique haud parvi nominis, attribuerunt hydropem, maximâ ex parte

debilitati absorbentium lymphaticorum; tamen, confitendum est, rem revera unquam ita se habere, nondum mihimet persuasum fuisse.

Etenim, nemini est dubium, omnibus hydrope laborantibus, sive ex effusione auctâ, sive, ut plurimis placet, ex absorptione diminutâ, musculos quotidie et assidue tabescere. Ex quo, ut credo, satis manifestum est, vasa absorbentia, non solum aeque ac, sed etiam fortasse, magis quàm in sanitate, partes corporis resorbere. Ni res ita se habeat, quare corpus tabet? Nam etsi, quando cum hydrope corpus conflictatur, ejus musculi adepsque non adaugescant, propterea quod est verisimile, nutritionis subesse defectum; veruntamen ni absorbentia eodem tempore ubique resorbeant, corpus decrescere non potest.

FINIS.